

*Flor.* Codex Florentinus chartaceus forma octava, seculi quarti decimi in ejusdem bibliothecæ pluteo 31. 8. Hujus codicis collationem cum ed. Steph. 1557. a Gaspare Bencinio et Francisco Poggio bibliothecæ ministro confectam mihi mutuo dedit Blomfieldius, qui ea ipse ad Agamemnonem usus fuerat.

*Venet.* Codex Venetus chartaceus seculi tertii decimi, in bibliotheca D. Marci Venetiis 616. Et hujus codicis collationem a Jacobo Morellio cum editione Stanleiana 1663. confectam Blomfieldii humanitati debeo.

*Guelf.* Codex Guelferbytanus chartaceus seculi quinti decimi mendosissimus. Aldinam ex hoc codice expressam putat Butlerus, Tom. IV. præf. p. iv. Blomfieldius contra in præf. ad Ag. ipsum codicem ex editione Aldina concinnatum esse censet. Hunc codicem inspexerunt Askevius et Schuetzius. Lectionis diversitatem dubius per literas quæsivi, quæ nescio quo casu responsum non tulerunt.

*Par.* Codex bibliothecæ Regiæ Parisinæ 2886. chartaceus, manu Jani Lascaris scriptus. Hunc olim ab Askevio collatum iterum inspexit Fæhsius, quem vide in Sylloge Lectionum Lips. 1813. p. xix. 158 seqq. coll. Dind. Præf. ad Annot. p. ii. Vereor autem ut Fæhsio fides sit ubique habenda. Ex hujus codicis lectione diversitatem quandam rogatus benignissime mecum communicavit Vir amplissimus Car. Benedict. Hase bibliothecæ Regiæ Parisinæ præfectus.